



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 21. De Mortificatione Christiana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

## DIES XXI.

## De Mortificatione Christiana.

## I.

OMnes illi, qui Christi sunt, inquit Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Necessario proin renuntiare Christianismo debet, qui animi, sensuumque suorum motus edomare recusat. Omnia, quæ Christianismum constituunt, gratia, axiomata, & exempla Christianos ad id obligant; præsertim verò gratia, quæ nos Christianos efficit, quacunque ex parte spectetur, ejus necessitatem nobis injungit inevitabilem. Si gratiam istam consideremus in sua origine, à Deo Redemptore prodit, nimirum à Deo patiente, à Deo Cruci affixo. Gratia originaria, quæ data fuit homini innocenti, erat gratia Dei Creatoris, hoc est, Dei felicitis, Dei gloriosi, & hoc propterea, quia hæc erat gratia suavitatis, & deliciarum, quæ hominem ex hujus vitæ gaudijs evectura esset ad gaudia sempiterna. At gratia Christianorum, cum sit gratia Dei in Cruce morientis, necesse est, ut ad obtinendam cum suo Principio similitudinem, ad gaudia alterius vitæ, per hujus vitæ afflictationes nos perducatur.

II. Gra-



Martius.

*Nondum us-  
que ad san-  
guinem re-  
stitistis.*

*Hebr. 12. 4.*

*Non decet  
sub spinoso  
capite mem-  
brum esse de-  
licatum.*  
*Bern.*

II. Gratia Christianismi est precium sanguinis Dei. Oportet itaque, ut Doctor gentium ait, animi sui motibus ad sanguinem usque resistere ut illam sibi applicet. Ea defluit è capite spinis coronato: credimusne, eam concedere, ut rosis nos coronemus? monstrum quoddam est, inquit S. Bernardus, membrum delicatum sub capite spinis coronato. Credimusne gratiam, quæ virtutem suam derivat è transfosso latere Corporis vulneribus penitus cooperti, & vitam mollem, ac sensibus penitus addictam sociari inter se posse? Credimusne, æquum esse, ut Filij Dei, in cruce morientis præcipuum studium suum ponant in sectandis hujus mundi delicijs? Nos per Mortem Jesu Christi vitam accepimus; sed eam conservare non possumus, nisi per mortem, qua nobismet ipsis, nostrisque immoderatis cupiditatibus moriamur. Omnes nos filij sumus Montis Calvariae, inquit S. Augustinus: hic enim locus est, ubi Christus vitam per mortem suam nobis dedit. Si cujuslibet natura quiddam à patria sua, ubi is natus est, participat, an non Christiani participare aliquid debent è Monte Calvariae, qui locus est nativitatis nostræ, locus videlicet tormentorum, & dolorum?

III. Si



III. Si gratia, quæ nos Christianos efficit, consideretur, quatenus respicit hominem in gratia constitutum, non minùs efficaciter ea nos obligat ad animi nostri motiones subigendas. Gratia, quæ Adamo ante peccatum collata fuit, hominem sanum incolebat; adeoque nullo medicamento erat opus; incolebat hominem innocentem, & idcirco nullâ dignum pænâ. Verùm post labem originariam, gratia, quæ ad illam eluendam datur, dum Christiani efficitur, invenit hominem peccato obnoxium; adeoque requiritur, ut illum puniat: potestne autem hoc fieri, quin nos pœnis sponte susceptis afflictemus? invenit hominem morbo laborantem; unde necesse est, ut vim habeat medicam, & quod inde sequitur, amaram. Invenit concupiscentiam effrœnatam, voluntatem corruptam, animi commotiones violentas, carnem rebellem: qui totidem morbi sunt lethiferi: ad quos sanandos oportet immoderatam hanc cupiditatem refrœnare; has animi commotiones compescere, hanc voluntatem ad rectæ rationis normam dirigere, hanc carnem crucifigere. An hæc omnia fieri sine continua mortificatione possunt? eam verò gravatè amplecti, an non idem est, ac malum suum amare? per-  
ricu-

Martius.




Martius.

riculosis morbis teneri, & media necessa-  
ria non admittere, an non est perire velle?  
an non & tu sic animo comparatus es, si  
mortificationem fugis? Exemplum Divi  
Benedicti, cujus hodie festum agitur, con-  
fundere te, & animare debet. Id si te non  
animat, condemnabit te. Is ab infantia  
sua severis afflictationibus corpusculum  
suum divexavit. Carnem suam castiga-  
vit prius, quàm criminis rea esse posset;  
Innocens, & nihilominus pœnitens in  
vepribus se volutavit ad extinguendas  
proprio sanguine quasdam ignis impuri  
scintillas; quas dæmon in ipsius corde ex-  
citare nitebatur.

*Statue, cùm te noveris, qualis reipsa es, &  
ægotum, & culpæ reum, amplecti Mortificatio-  
nem veluti remedium infirmitatibus tuis saluta-  
re, & penam peccatis tuis jure debitam.*

Si secundum carnem vixeritis, morie-  
mini: si autem spiritu facta carnis morti-  
ficaveritis, viveritis. *Rom. 8. v. 13.*

Carnem afflixisse, & libidinem super-  
asse, pars magna Martyrij est. *Aug. serm. 46.*



DIES